

tum in rebus mortalium relinquitur) tam repente concidisse; Et  
tot dotes, tot ornamenta, tot hominum studia, tot optata ac vota tam  
justa, & tantam denique expectationem nostrum omnium tam repente  
properatam mortem interfecuisse. Sed in voluntate summi nostri  
in caelo imperatoris acquiescamus, cujus voluntatis causa & ratio  
incognita esse potest, injusta esse non potest. Porro tales viros  
praestantissimos rebus hujus vitae mortalibus exemptos, suis condi-  
gnis laudum encomijs post mortem exornari justissimum pariter ac  
utilissimum est, & nunquam satis laudatam consuetudine passim in-  
troducendum. Quippe cum ille vitam, dictis, factis ac meritis suis ju-  
re meritisimo tale quid promeritus sit; Et mortuorum laudibus  
vivi ad virtutem & eruditionem consimilem inflammentur, & sub-  
jecto quasi calcare instigentur. Laudanda ergo cum primis prae-  
clara voluntas & insigne studium ac benevolentia erga defunctum  
virum eximium, Reverendi ac Clarissimi viri Dn. M. LVCÆ  
BACMEISTERI, S.S. Theologiae in hac Academia pro-  
fessoris, collegae & affinis nostri carissimi, qui hujus optimi & lauda-  
tissimi viri laudes & elogia insigni oratione comprehensa, crastino  
die hora 9. solemni Academiae more publicè recitabit. Ad cujus  
recitationem, cum hac, & plura alia sanctissimis manibus tam  
praestantissimi viri debeamus, omnes Academiae cives, Professores,  
Doctores, Magistros, Studiosos, tam docentes, quàm discen-  
tes officiosè & amanter invitamus. P. P. Ro-  
stochij, sub sigillo Academiae 23. Sep-  
tembris Anni M.  
DC, III.

A 3

ORA-